


IN MEMORIAM

Petar Ušković Croata IOANNES GOLUB MCMXXX-MMXVIII

Die 25. Octobris sacerdos Ioannes Golub, vir doctissimus ac scientia litterarum veraque virtutum nobilitate ornatissimus LXXXIX annum agens Zagrabiae mortem obivit. Natus est in vico Kalinovac unde primum in Gymnasium Archiepiscopalem, cum sacerdos fieri in animo haberet, dein ad theologiae studia se contulit. Cum tandem anno MCMLVII sacerdos creatus esset, vicarii munere fungitur in parochiis ad septemtrionalem Croatiae vergentibus, quo officio relicto iterum studiis Romae incubuit ubi in Universitate Gregoriana dissertationem doctoralem, lingua Latina exaratam, defendit cuius titulus: *De mente ecclesiologica Georgii Križani*. Zagrabiam reversus in Facultate Catholica varias theologiae disciplinas docet et plurimas symbolas praecipue ad Georgium Križanum pertinentes edidit. Inter eas quae Latinitatem trant numerantur symbolae de *Iesseide* Caietani Vičić, de Marco Antonio de Dominis, de Ioanne Pastritio theoloogo etc. Neque tantum soluta oratione Ioannes Golub scripsit, sed etiam carminum libros nonnullos in lucem dedit, quorum sunt notissimi *Maximus in minimis* (MCMLXXVII), *Kalinovečki razgovori* (MCMLXXIX), *L'uomo di terra* (MCMXCIV), *Ultima solitudo personae* (MCMXCVII). In ultimo libro edidit XXII carmina Latine scripta et unum Graece, quare merito inter poetas Croatorum qui Latine scripserunt numeratur. Qui versus, licet breves, admodum profunde non solum de regione qua poeta est editus narrant, sed etiam philosophicum in modum ac paene mysticum res humanas tractant. Non est dubium quin Ioannes Golub nobis singulare exemplum, non tantum ad intuendum verum etiam ad imitandum reliquerit; omnibus enim eius operibus litterae Croatiae recentius exaratae quasi columnis sustinentur. In fine afferimus unum carmen poetae:



NON MORIAR

Non moriar in terra sterili

Non moriar in aqua sordida

Non moriar in avium nido

Non moriar in itinere matutino

